Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1025
Quelle:
Copyright:

pro Mauro, quae quidem in impressis exemplaribus repraesentatur tanquam ad *Gregorium* IV. P. M. directa, certissime vero *Josephum* eo tempore Archiepiscopum Turonensem petit, quod vel ex sequentibus versibus patet:

Abbas namque suus fuldensis rector ovilis
Illum huc direxit ad tua tecta pater
Quo mecum legeret &c.

Cuinam hic Romae in mentem veniat? Nunquam ibi Alcuinus literas docuit, quidquid *Trithemius* in *vita Hrabani edit. Opp. Colon.* 1626. T. I. adserat, sed docuit Turonibus in D. Martini Asceterio. Itaque et recentior illa manus picturae supra memoratae *Josephum* pro *Otgario* inscribere potuisset. *Fol.* demum 3. *averso* rudi pictura exhibetur *Gregorius* Papa sedens, stantibus a tergo monachis duobus, librumque de manu Hrabani suscipiens circumscriptis in quadrum litera capitali his versibus:

Pontificem summum Saluator Criste tuere
Et saluum nobis Pastorem in saecula serua
Presul ut eximius sit rite Gregorius *almae*
Ecclesiae custos doctorque fidelis in aula.

adjectaque e regione Elegia dedicatoria: *Sedis apostolicae princeps* &c. ut in impressis exemplaribus habetur. Sequitur jam *Imago Hludovici Imp.* operosissimo illo mechanismo metrico contexta, cujus infelices reliquias in Chronostichis, Acrostichis &c. nondum penitus excussit aetas nostra. Tam huic Imagini, quam reliquis XXVIII. *Figuris* signum *Crucis* diversimode repraesentantibus adjecta est prosaica Carminum *Explicatio*, sub cujus finem ipsa etiam mechanismi metrici ratio exponitur. Fol. 33. in explicatione Fig. XXVII. desunt nobis ultima haec verba: *ei etsi bonos artem ibit et odis. Qui per easdem literas relectus redit in priorem, eum scilicet, qui in longitudine crucis est.* Ad calcem *Libri* I. *fol.* 34. litera quadrata legitur minio: *Explicit Deo iuvante Opus Magnentii Rabani Mauri in honore sanctae Crucis conditum.* In *Praef. Libri* II. Noster anteriorum Scriptorum exemplis se tuetur, qui eandem materiam partim vorsa partim prosa oratione tractarunt; itaque XXVIII. *Capitibus* Figuras suas rursus uberius exponit. Reduxit Opus hoc primus in Eruditorum memoriam *Nicolaus Keinbös* O. S. Joh. Hierosol. Sacerdos et Plebanus Durlacenus, ut patet ex Elegia *Sebastiani Brand* Editioni principi praefixa, in qua sic ad illum: